Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 823

Quelle:
Copyright:

Mercimoniis et Negotiationibus Mſ. quod noſtrum eſſe adſerere non auſim.

XXVI. *fol.* 160. p. 2. Collectanea varia ex *Auguſtino*, *Petro Damiani*, *Regula Benedicti*, *Baſilio M. Joh. Caſſiano*, *Gregorio M. Henrico de Haſſia*, *Hieronymo*, *Bernhardo* de diverſis materiis ad religionem et mores pertinentibus. Opuſculi inter haec ſpeciem habet, quod minio inſcriptum eſt: *Notabile de animabus*, in quo agitur breviter de Statu animarum ſeparatarum et earum orationibus et ſuffragiis, ſed integrum non eſt.

XXVII. *fol.* 167. p. 2. minio: *Incipit epiſtola beati Euſebij Ad Damaſium portuenſem epiſcopum et ad Theodonium Romanorum ſenatorem de morte glorioſiſſimi confeſſoris Jeronimi Doctoris eximii.* Vide, ſi lubet, quae *Cod.* DCCXXVII. diximus.

XXVIII. *fol.* 183. *Expoſicio de corpore chriſti ſuper verbis Gen. ut ſequitur. In ſudore vltus tui veſceris pane tuo. Hoc verbum Gen. 3°. capitulo ſcriptum, quia dictum eſt ad literam de penalitatibus ade et filiorum eius, Ideo pertractandum eſt primo hiſtorice, 2° miſtice de ſudore paſſionis chriſti et pane ſacratiſſime eukariſtie* &c. *Pezius* Sermonem hunc in Carthuſia *Axpacenſi Auſtriae* reperit *Henrico de Haſſia* inſcriptum, ut teſtatur *Diſſ. iſag. in T. I. Theſ. Anecd. p. 78.*

XXIX. *fol.* 187. minio: *Magiſter Hainricus de Haſſia ad canonicos regulares de proprietate.* Amplus Sermo vel potius Tractatus eſt, qui incipit: *Ecce nos reliquimus omnia et ſecuti ſumus te. Nouiſtis fratres dilectiſſimi in Domino ihesu regulariter congregati, quorum ſint verba hec* &c. Sermonem hunc, cujus jam *Trithemius* meminit, ad Collegium *Clauſtroneoburgenſe* habitum *Pezius* mox laudatus in Bibliothecis *Axpacenſi*, *Gemnicenſi* et *Mellicenſi Henrico de Haſſia* pariter tributum invenit. Extrema illius, *Henricum* nulli, quod olim dubitabatur, familiae religioſae adſcriptum fuiſſe confirmant; dicit enim: *Quibusdam fortaſſe displicui, dum* — irregularis *ego* regulares *docere preſumpſi.* Cod. CCLVII. vocatur *Epiſtola.*

XXX. *fol.* 193. minio: *Auguſtinus de Viſitatione Infirmorum. Tractatus primus.* Duo ſunt Libri *incerti Autoris* a *Maurianis* in *Append.* T. VI. Opp. *Auguſtini col.* 253. exhibiti. Initium: *Viſitacionis gratia nepoti meo kariſſimo morienti extremum valedicturus* &c. Finis: *ut aſcendas ad deum iuſtificatus ab ipſo, Qui viuit* &c.

XXXI. *fol.* 199. Tractatus *de Vita et XII. Abuſiuis Clauſtralium* ſine titulo. Incipit: *Locuturus kariſſime de bijs que ad edificacionem clauſtri materialis pertinent* &c. Finit: *Ex bijs ergo obſeruantie mandatis pendet ſumma tocius religionis.* Et rubro: *Finitur de vita clauſtralium et abuſionibus eorundem.* Regulam *Benedictinam* Autor profeſſus fuiſſe non videtur ex eo, quod p. 2. ait: